



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

Capvt X. Verbum Negotians.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79561)

sunt, sed ut ad res aliquas prorsus viles essent, & commodi. Ipsum autem rationis est expertus; nimirum, ob eam causam, ut rationis præstantia maiorem animus dignitatem obtineret. Si enim naturales ipse corporis recte temperaret motus, præter id quod incolume illud constaret, hoc etiam accedit, quod ipse perpetuo à periculis permanet liber. Si verò neglecta ratione se totum dedit, & moderandi habenas ignaviae relictas, & ipsum corpus veluti quod ratione moderaretur, & ab recta egreditur via, & animam traxit de seipso, non quidem vna in eadem perniciem trahit; non quidem ob eam causam, quod suapte natura ipsum sit vitiosum, sed quod illa negligens sit.]

Denique S. Augustinus lib. de Cantico nouo cap. 3. (Hæbet viam, inquit) ambula sollicitus. Tantum domum iumentum tuum, carnem tuam, ipsi enim insidet anima tua. Quomodo si in hac via mortali iumento insideres, quod te gessendo vellet præcipitare, nonne ut securus iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres, & fame domares, quod frango non posses? Caro nostra, iumentum nostrum est, iter agimus in terulalem. Plerumque nos rapit caro, & de via conatur excludere. Tale ergo iumentum cohibeamus ieiunijs. Vide illam gubernatorem eundemque viatorem Apostolum Paulum; vide illum, iumentum suum domantem. In fame, inquit, & siti, in ieiunijs sæpe castigo corpus meum, & in feruitum redigo. Ita ergo & tu qui ambulare desideras, doma carnem tuam, & ambula.] Ita planè faciendum nobis, ut scopo quem Verbum Dei habuit propositum, cum carni suæ ut iumento infedit, respondemus, ipsumque Verbum humanitati inequitatis, imitatione exprimamus.

CAPVT X.

Verbum Negotians.

Multiplicem Verbi Diuini negotiationem, in Scripturis, & Patribus distinctam video. Alteram Verbi cum humanitate, quod est illud admirabile commercium, quo Creator generis humani animarum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est, & procedens homo sine semine (humanitatem accipiens de nostro,) vice versâ largitus est nobis suam Deitatem. Ab hac negotiatione ad aliam deuentum est, qua Verbum iam humanarum siue incarnatum, cum Patre salutem nostram negotiatum est, exhibito illo pretio redemptionis nostræ: ac postinde cōstruendo à Patre, pretio magno, humano genere. Postest addi tertia negotiatio, qua Verbum Dei in sua humanitate, seu Christus, nobiscum negotiatur, emens à nobis quæ ipse nobis dedit, & preciosa fecerit. Nunc quia mysterij incarnationis substantiam symbolice in Scripturis expressam, vestigamus, de prima præsertim negotiatione Verbi, erit agendum. Quia ea non prima ordinatur ad posteriores, eas quoque attingemus.

Verbi aduentus, Negotiatio nobiscum.

Miseram negotiationem protoplastorum qua omnes per nunquam satis deploratam amentiam, commutauimus felicitatem iugibus calamitatibus, exhibet S. Dionysius. Hier. p. 3, commutationem verò contrariam à Christo mercatore optimo factam his verbis subiungit. [At verò Diuinæ bonitatis immensa humanitas, Prouidentiam, curamque nostri, quæ per se curat omnia, pro tua in nos benignitate non abiecit, sed nostrorum omnium verè facta particeps sine peccato, ac cum humilitate nostra, vna facta & coniuncta, cum suorum nec confuso nec imminuto vlla ex parte statum, & secum coniunctionem, ac societatem nobis, ut eiusdem generis deinceps conceffit, & participes, sociosque declarauit bonorum suorum, cum & multitudinis quæ defecit, (ut Scriptura tradit) impe-

rium quod in nos haberet, dissoluisset; non pro potestate, quod longe multumque superaret, sed ut mystice tradit Scriptura, in iudicio atque iustitia, & nostra in contrarium benignè mutauisset.] Suspexit hanc permutationem perleganter Iustinus ep. lto. ad Diagnetum sub finem, & iustum pro iniustis, immortalem pro mortalibus datum, demiratus, subdit: [O dulcem permutationem lō imperuestigabile artificium lō beneficia expectationem omnem superantia. Ut iniquitas quidem multorum, in iusto vno abscondatur, iustitia autem vnius faciat ut multi iniusti pro iustis habeantur.] Proculus item, concinnè (serm. de Nat. Dom. num. 8. [Admiranda quædam (inquit) commutatio hic interuenit. Dato namque Spiritu accepit carnem, idem cum Virgine, & ex Virgine.]

368. Gaudet mercimonij & negotiationis comparatione, Verbi ad nos aduentum adumbrare S. Augustinus; ideoque in ea comparationem frequens est. Polch. è serm. 34. ex 40. nouis. [Mortuus est Deus, ut compensatio fieret cœlestis cuiusdam mercimonij, ne mortem videret homo. Deus enim Christus. Sed non ibi mortuus ubi Deus. Idem enim Deus, idem homo. Vnus enim Christus, Deus & homo. Homo assumptus est, ut in melius mutaremur, non Deum ad deteriora detorsit. Assumpsit enim quod non erat, non amisit quod erat. Cum ergo Deus esset & homo, volens nos viuere de suo, mortuus est de nostro. Vnde enim ipse moreretur non habebat? sed nec nos vnde viueremus. Quid enim ille erat, qui non habebat vnde moreretur? In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Quare de Deo vnde moritur, non inuenies. Nos autem morimur, qui sumus caro. Peccati carnem portans homo. Peccatum quare vnde vivat, non habet. Nec ille ergo potuit habere mortem de suo, nec nos vitam de nostro; sed nos vitam de ipsius, mortem de nostro. Qualia commercia: quid dedit, & quid accepit? Mercantes homines veniunt ad commercia, ad res mutandas. Nam antiqua commercia, rerum mutatio fuit. Dabat homo quod habebat, & accipiebat quod non habebat, v.g. habebat triticum, sed hordeum non habebat; alter hordeum habebat, & triticum non habebat. Dabit ille triticum quod habebat, accipiebat hordeum quod non habebat. Quanti erat, ut maior copia vilem speciem compensaret? Ecce ergo alius dat hordeum ut accipiat triticum. Postremum alius dat plumbum, ut accipiat argentum; alius dat lanam ut accipiat vestem. Et quis enumerat omnia? Tamen nemo dat vitam, ut accipiat mortem. Non ergo vox medici pendens in ligno, inanis fuit. Ut enim moreretur pro nobis, quia Verbum mori non poterat, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.]

369. Non potuit elegantius & expressius commercium à Verbo nobiscum per incarnationem initum, proponere. Sed quod de suscepta morte & ærumnis nostris præmittit, ut cohæreat cum extrema clausula relata, recidatque in commutationem qua Verbum caro factum est, dans Deitatem, & accipiens humanitatem, non est accipiendum de perpassionibus & actionibus Christi iam producti: sed de debito ad eas, consequenter ad assumptionem humanitatis. Quia enim Verbum humanam carnem passibilem & mortalem assumpsit, consequens fuit, ut pateretur & moreretur. Ideoque quod ait S. Augustinus, celestem negotiatorem accepisse mortem, & dedisse vitam; de morte radicaliter & causaliter accepta ratione humanitatis mortalis intelligendum est, non autem de formal admissione mortis, quæ ad secundam negotiationem propositam pertinet, non ad hanc primam, qua præcisè mysterij huius substantia, & Verbi nobiscum coniunctio exprimitur. Eodemque sensu accipiendus est D. Augustinus, quoties de Verbi nobiscum mercimonij &

& negotiatione differit: ut Conc. de miraculo quinque panum, cuius fragmentum reliquum est apud Bedam ad Hebr. 2. (est numero septimum inter fragmenta tomi 10.) [Desideremus, inquit] vitam Christi, quia tenemus pignus mortem Christi. Quomodo nobis non dabit bona sua, qui passus est mala nostra? In terris istis, in hoc saeculo maligno, quid abundat nisi nasci, laborare, & mori? Hæc sunt mercimonia regionis nostræ; ad tales merces mercator ille descendit. Et quoniam omnis mercator dat & accipit; dat quod habet, & accipit quod non habet; etiam Christus in ista mercatura dedit & accepit. Sed quid accepit? Quod hic abundat; nasci, & laborare, & mori. Et quid dedit? Renasci, resurgere, & in æternum regnare.]

Pulcherrime verò Conc. 1. in Psal. 30. *sub initium*, ex ea commutatione quasi reali, docet consecratam esse verbalem. Id est ex eo quod Verbum assumpsit humanitatem nostram cum appendicibus & iuribus suis, consecratum esse ait, ut locutiones nostras suas faceret; concessio vicissim nobis, ut verba ipsius possemus nostra facere. Psalmi titulus quem Augustinus ibi exponit, sic habet: *In finem Psalmus ipsi David extasis*. Eam extasim, in posteriore è duobus quos adhibet sensibus, interpretatus pauorem, hancque in Christo agnoscens sub limine passionis, causam reddens cur Christus parere & verbis pauorem suum contestari voluerit mortuus, difficultate aliquandiu agitata, addit; [Verumtamen quia dignatus est assumere formam servi, & in ea nos vestire se, qui non est dignatus assumere nos in se, non est dignatus transfigurare nos in se, & loqui verbis nostris, ut & nos loqueremur verbis ipsius. Hæc enim mira commutatio facta est, & diuina sunt peracta commercia, mutatio rerum celebrata in hoc mundo à negotiatore cælesti. Vnit accipere contumelias, dare honores; venit haurire dolorem, dare salutem: venit subire mortem, dare vitam. Mortuus ergo ex eo quod nostrum habebat, non in se sed in nobis panebat, quia ex hoc dixit tristem esse animam suam usque ad mortem, & utique nos ipsi omnes cum illo. Nam sine illo nos nihil, in illo autem, ipse Christus & nos. Quare? quia totus Christus caput & corpus. Caput ille Saluator corporis, qui iam ascendit in cælum; corpus autem Ecclesia, quæ laborat in terra.]

Expressit eum S. Augustini locum, Leo Papa serm. 3. de Pass. c. 4. sic scribens. [Sciens Iesus adesse iam tempus gloriose passionis implendæ: *Tristis est*, inquit, anima mea usque ad mortem. Et iterum: *Pater si fieri potest, transeat à me calix iste*. Quibus verbis quandam formidinem proferentibus, nostræ infirmitatis affectus participando curabat, & pœnalis experientiæ metum subeundo pellebat. In nobis ergo Dominus nostro pauore trepidabat, ut susceptionem nostræ infirmitatis indueret, & nostram constantiam suæ virtutis soliditate vestiret. Venerat enim in hunc mundum diues atque misericors negotiator cæli, & commutatione mirabili inierat commercium salutare, nostra accipiens, & sua tribuens; pro contumelijs honorem, pro doloribus salutem, pro morte vitam, & cui ad exterminationem persequentium poterant plusquam duodecim millia Angelicarum servicie legionum, malebat nostram recipere formidinem, quam suam exercere potestatem.]

Eadem ac commercium Verbi in regionem longinquam profecti.

370. Negotiatoris ergo formam, nobis sua tradentis, nostraque accipientis, expressit Verbum: Eaque ex causa profectum est in regionem longinquam, ut meditatur Petrus Damiani serm. de S. Nicolao postea referendus. Adaptat enim ad Verbum Dei, negotiatoris munus capessentis, Parabolam Evangelicam de homine nobili profecto in regionem longinquam: suis item mandante, ut dum reuenit, negotientur. Abiit au-

tem in regionem longinquam pro more negotiatorum, qui quæ domi non suppetunt, alibi accipiunt & transvehunt. Ea namque ex causa, quod sapienter pro more notavit Theodoretus serm. 2. de Provid. *sub finem*, & S. Ambrosius 3. Hexam. c. 5. conspicua aque & terræ intermixtio prouisa diuinitus est, ut locus esset negotiationi, & transvectioni eorum quæ alicubi abundant, aliò vbi deficiunt. Nam vnus naui oneribus, vix multa iumentorum millia fatis essent. Vnde sequuntur ingentia illa ad humanam vitam commoda, quæ ex varijs D.D. representauimus in scalis à visibili creatura ad Deum gradu 5. Quia ergo deerat in cælo mortalitas & passibilitas, earumque appendices quæ in terris abundabant; & vice versa deerat in terris gratia & gloria quibus cælum affluebat; venit Verbum ad nos in regionem planè longinquam. Venit inquam, non gressibus & descensu locali, sed benigna condescensione; vniuersumque naturæ nostræ, cælestia bona illi communicauit, accipiens vicissim ab ea abiectionem & paupertatem: quod meritis genus in terris copiosum erat, sed nesciebat homo pretium eius, donec cælestis mercator æstimatione sua testatur fecit, quanti reuera esset faciendæ, & quanti valeret. Cogitatio est S. Bernardi sanè pia serm. 1. de vigilia Natiui. [Erat enim inquit de Christo humilissimè nascente], qui fortè ei sublimia querenda arbitraretur esse palatia, vbi cum gloria Rex gloriæ susciperetur. Sed non propter hoc à regalibus illis sedibus venit. In sinistra eius diuitiæ & gloria, in dextera longiternitas vitæ. Horum omnium æterna in cælis affluentia suppetebat, sed paupertas non inueniebatur in eis. Porò in terris, abundabat & superabundabat hæc species, & nesciebat homo pretium eius. Hanc itaque Dei Filius concipiens, descendit, ut eam eligat sibi, & nobis quoque sua æstimatione faciat preciosam. Hoc de illa maxime paupertate valet, secundum quam Christus pauperrimam substantiam assumpsit, ab Apostolo dicitur egenus factus, ut plenè prosequar l. 5. Sic Verbum diuinum negotiari voluit. Nec defuit in huiusmodi negotiatione interuentus proxenatarum; sanctorum inquam Angelorum & hominum, qui in huius operis expeditionem intenti erant ab orbis initio. Ut propterea scitè Chrysostomus serm. 3. de Annunc. incarnationem vocet, *Negotium omnium seculorum*. Quod Deiparæ ob Christum tribuit Bern. serm. 2. de Pentecoste. Tamen mercator & negotiator, alius non fuit quam Verbum,

Alia Christi pro nobis Negotiatio cum Patre.

371. Hæc nobiscum negotiatione transacta, id est facta Verbi diuini ad nostram humanitatem vnione, aliam in sua humanitate Verbum diuinum cum æterno Patre iniit negotiationem, emens videlicet nos pretio magno. Bonum mercatorem Christum, nos ementem exhibito patri in pretium sanguine suo, proponit S. Aug. fragmento sermonis de miraculo panum, adducendus cum de titulo Redemptoris. Nunc idem illustro ex Petro Damiani serm. de S. Nicolao, vbi tractans illud: *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, & ait seruis suis, negotiamini dum venio*. Sic dixerit. [Securè negotiorum præcipiente Domino meo, nec timebo Psalmistam dicentem: *Quia non cognoui negotiationem, introibo in potestas Domini*. Non enim parum mihi fiducia robur præstat, quod ille summus imperator, factus est negotiator meus, & negocium meum sine otio egit, quandiu fuit in terris, & preciosarum mercium fasciculas portans ad Patrem, ipsi vultui Dei, & quid emit, & quid redemit, & vnde redemerit, ostendit.] Legitur etiam hic sermo apud S. Bernardum, apud quem item alius habetur sermo de quinque negotiationibus inscriptus, quo ijs recensitis quæ ad S. Nicolam pertinent, hæc Verbi pro nobis negotiatio cum Patre, egregiè describitur. Ex parte quidem alijs verbis, quam

in

in sermone prædicto de S. Nicolao: plerumque tamen
idem, & sensibus planè similibus. Particulam huc
maximè facientem, iunat adscribere. [Verbum Paris,
vniuersitatis Dei, Sol iustitiae, summus ille negotiator,
de victimis celorum finibus, nostrae redemptionis præ-
dicatione dignissimus, in qua Rex filius Regis, efficitur ne-
gotiator. Autem pro plumbo tribuitur, pro peccatore
notatus est iustus. O quam indebita miseratio, quam
gratuita & sic probata dilectio; quam inopinata digna-
tio, quam stupenda dulcedo, quam inuicta mansuetudo,
quam vilis negotiatio, ubi filius Dei pro seruo tra-
ditur, pro creatura Creator occiditur, pro incipio Do-
minus, pro creatura Creator occiditur, pro incipio Do-
minus condemnatur. Tua sunt hæc Christo opera, qui
de lumine celi ad tenebras inferni; à dextera Maiestat
tis ad misericordiam humanitatis; à gloria Patris ad mortem
Creantis descendit; infernum illustrando, hominem
resuscitando, superando mortem, & mortis auctorem.
Tuus es, & secundum non habes quem ad nos redimē-
tum propria benignitas inuitauit, misericordia traxit,
veritas qua re venturum promiseras, compulsi, puritas
viri Virginitas suscepit, falsa virginitatis integritate
potestati eloxit, obedientia in omnibus deduxit, patien-
tia amant, caritas verbis & miraculis manifestauit.
Abiit procul negotiatores terræ Themam, recedant
illi Agas, qui exquiritur prudentiam: elongentur à
ne Gigantes à seculo nominati, qui ab initio fuerunt,
hauri magos, scientes bellum. Non hos elegit Domi-
nus, neque viam disciplinæ inuenerunt, propterea pe-
nitentiam, sed dedit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto
suo. Abcondisti enim hæc Domine à sapientibus &
prudentibus, gigantibus, & nominatis, qui magni facti
sunt, videlicet in oculis suis, & reuelasti ea paruulis &
humilibus tuis. Libenter amplector negotiationem
tuam, quia negotium meum est. Hæc mercimonia, cum
lumina sanitate ruminat anima mea.]

372 Polychremè item in hanc rem S. Ephrem serm.
de margarita priatola, quam homo negotiator diuen-
dit suis omnibus comparauit. [Intelligo (inquit) re-
pentinum opificem, agricolam esse: & intelligo non
ab eo agros hos terræ, sed naturæ campos coli, quos se-
nat & demerit. non tamè vindemiatur, & ex magno tor-
centi vngulæ exigit, prius dat naturæ humanæ mutuū
dixit: & seruus exigit vniuersam animæ libertatem. Et
propter debitum, terrestria pascua sibi vindicari & bre-
ui commercio Dominus omnium efficitur, non solum
ut Creator, verum etiam ut Redemptor. Et non modò
ut Deus, sed etiam ut qui sudoribus emittit, tradit mar-
garitam; ne & ipsum naturæ obolum deperdat. Elocat
dixit, ut & seruum submittat. O immensam, & peri-
culosam contemnentem liberalitatem. Conchæ enim
committit margaritam: & pro obolo, lapidem precio-
sam voluit. Cernis mercator? consideras eum,
qui omnia vendit, ut margaritam emat? Cognoscis di-
uites: quomodo cuncta vendat, ut agrum & in eo in-
uentum thesaurum comparat; Hic enim cælestis est
Pater, qui per Filium suum omnia emittit humanæ cōdi-
tionis frugifera: cunctas autem possessiones suas ter-
renas vendidit, ut iugum quod ipse condiderat, &
adeo tradiderat, compararet: at hic eam, vanarum re-
rum cupiditate, vendidit. Emit verò agrum non pro-
prie vsum; sed ob thesaurum in ea reconditum.
Quis igitur est iste ager? corpus humanum. Et quis the-
saurus? anima quæ in eo est. Siquidem propter animā,
quam ad imaginem & similitudinem suam ipse fecit,
vendidit omnia, & ad comparandam possessionem,
misit Filium. Nō igitur Diuinitati vendidisset tyrannus;
nisi illa tulisset, & obieisset humanitatem. Nouerat
enim potentiam, ac timebat venditionem: sed homini
vendebat sciens eius infirmitatem, cognoscensque se
quando vellet, rursus per vim auctoris posse eius posses-
sionem acque thesaurum. Mittit ergo suum Filium ad

tyrannum, dicitque ab ipsum: Trade illi possessiones
reliquas, de quibus nō est controuersia quia meæ sunt.
Solutus autem homo volūtate libera dominium meum
facit ambiguum: per confessionem tamen & negatio-
nem thesaurum habet absque labore, verum quia ad
gloriam meam pertinet, ut non perdam quod mihi ipsi
ad obsequium meum ac ministerium procreauit; ad
ipsi iumenta, & cuncta rationis expertia: solum autem
hominem redde liberum. Præbet igitur ei potcos in
regione Gerasenorum: emitque agrum cum thesauro,
ac hominem ex dæmonis potestate redemit. Porci, asini,
tauri, atque leones nullam præbent gloriam possi-
denti: homo autem magnam tribuit: quia eius venatio
non est ex cibis corruptibilibus, verum ex cælesti-
bus thesauris, virtutibus inquam. Hic thesaurus est, &
hic ager, cuius quidem mercator est Pater, at interpretes,
& Mediator Christus. Accessit ut hospes, & c. emit
tanquam mercator: auctoritatemque exercuit velut
Dominus: quoniam ipse & Pater, vnum sunt in Deitate.
Auctoritatem & potestatem exhibuit in natura, &
ratione assumptionis: porro Mediatoris functus est
munere in actione, atque in ijs quæ egit ac perculit, &
emit; potentia autem superans, accepit agrum: & cum
eum Tyrannus non cognosceret, etiam thesaurum di-
uendit.]

Nostra cum Deo, in huius vitæ nundinis, proxeneta Christo, negotiatio. vsu doctrina.

373. Inijciunt planè hinc nobis, magna similiter cum
Deo negotandi necessitas. Vdimus enim quàm nego-
tiosum in humanitæ tua factum sit pro nobis Ver-
bum. [Tu ergo, (inquit siue Bernardus siue Damiani,
sermone illo de S. Nicolao,) illo negotioso otiosus esse
disponis: illo laborante quiescere? Ipse venit negotia-
ri in regione longinquam, & tu ad regiones proximas
ambulare contemnis? Aggredere & ingredi regione
nem dissimilitudinis, videlicet mundum istum, & vide
quàm frequenter ibi nundnat.]

Monstrat varios mundi status, secularem & religio-
sum, loca esse nundinarum: itemque Purgatorium. In-
fernum, & Paradisum, regiones esse longinquas in
quas nobis cogitatione migrandum sit, ut merces In-
de nobis commodas, amorem inquam virtutis, & pec-
cati odium, expotemus. Quæ omnia diffusius in illo
alio sermone de quinque negotiationibus habentur
expressa, suntque potentissima incentiua ad nauiter
operandum dum tempus habemus. Id quod etiam in-
tellexerunt Ethnici apud Stobæum, qui ista nundinarū
vitæ huius & negotiationis per eam nostræ, compara-
tione, stimulant mortales ut sint boni mercatores. Idē
potentiū præstant Patres, non modò agentes de ordine
mercatorū ritualiū quē describit S. Paulus epist. 5.
qui beato (ut ait,) mercimoni genere præterentem
mundi figurā despiciūt, & omnia pro Christo effundūt;
aut aliorū quos exhibet S. Bernard. in senserij morali-
bus; eorum videlicet qui sua pauperibus ex parte ero-
gant. & de iniquo mammona faciūt amicos: sed etiam
agentes cum omni planè hominum gradu ac ordine.

Vid. sis differentem egregè in hanc rem S. Macariū
hom. 24. inno. & Chromatium Cōcione habita in nundinis
(habetur ante Chromatij commentarios in c. 5.
Matthæi ubi sic in fine. Hic tamen mercatus; hæc nundina
spiritualis. Demus (benedicti) quæ habemus; offeramus
spiritus paupertatem, ut accipiamus secundum
promissionem, regni cælestis vbertatem: Offeramus
mansuetudinem, ut terram possideamus, & Paradisum:
desicemus peccata & nostra & aliena, ut consolationem
de Domini bonitate mereamur. Esuriamus & sitiamus
iustitiam, ut copiosius saginemur: demus misericordiam,
ut veram misericordiam consequamur: viuamus
pacifici, ut filij Dei vocemur: mundum cor, & castum
corpus offeramus, ut lucido sensu Deum videre possi-
mus:

mus: Persecutiones propter iustitiam minimè timeamus; ut cœlestis regi efficiamur hæredes: Opprobria, cruciatus, mortem denique si eueniat propter Dei veritatem, gaudentes amplectamur & læti, ut merces nobis cum Prophetis & Apostolis copiosa præstetur in cœlo. Ut autem Verbi finis, cum præfatione concordet: si, est gaudium mercatoribus propter lucra præsentia, & caduca, magis gaudeamus omnes pariter & lætemur, quia tales Domini hodie inuenimus margaritas, quibus nulla possint bona sæculi comparari.]

374. Ad eadem mentem pulchrè S. Chrysostomus hom. 5. de pœnit. [Nundinæ nobis profectò mirabiles sunt, (inqui) harum nulla est alia professio, & negotiatori nulla alia intentio, quàm paruo quidem emere, magno vendere: nam ea cuiusque negotiantis industria. Num negotiationis alia ratio est, quàm quod minori empta, maiori pretio vendat, atque duplicatam sibi summam inueniat? Tales igitur nobis Deus nundinas proposuit: modico iustitias eme, quo multo vendas in cœlo futuro. Hic modico iustitia emitur, pro panis fragmento, vili pro vestimento, pro calice aquæ frigidæ. Amen dico vobis (inquit) spiritualis mercaturæ Doctor non perdet mercedem suam. Calix frigidæ aquæ, dignus est mercede: data vestimenta, datæ pecuniæ per beneficium, putas non sortientur mercedem magis, & multò maiorem; Quare ergo calicem aquæ frigidæ in medio duxit? sine impensa elemosynam dixit: nam si frigida aqua, neque ligna consumis: vbi verò sine impensa datum tanto beneficio rependitur, vbi vestimentorum sumptuositas, pecuniarum affluentia, aliorumque bonorum collatio, à iusto iudice quantà mercede remunerabitur? Quandiu itaque virtutes assumptæ, quæ paruo veniuntur, ab eo qui magna donata accipimus, rapimus, *Sitientes enim (inquit,) venite ad aquas, Et qui non habetis argentum, venite & emite. Quamdiu nundinæ ipsæ perdurant, demus elemosynam, salutem emamus.*] Addit egregiè, elemosynam facere, esse fœnerari Domino. Idem optimè ibidem hom. 9. sub medium. Quadragesimam, ut mercatus spiritualis & nundinarum nostrarum tempus, exhibet egregiè Theodor. Studia serm. 4. catech.

Sed illa huius loci maximè propria est negotiatio, quam S. Ephrem tract. de margarita pretiosa *sub finem*, imiri à nobis cum Deo per Christum docet, exhibens Deum societas contractum nobiscum inito, commercia nobiscum exercentem. Sic habet præter cetera. [Etiam tibi fœneratorem ostendam Deum, ô Heretice: & quomodo in Virgine excoluerit margaritam, & commonstrabo tibi præterea, quo pacto agricola Deitatem præbuerit naturæ. Voloque ostendere mercatorem; quomodo locum mercaturæ Deum nactus, diues vno extiterit obolo: ita ut & debitum persolveret, & ex residuis agrum cœmeret, ipsumque cœlum ac Dei regnum in hereditatem stabilem sibi tribui promeruerit. Accepit natura mendica Diuinitatem, & decertavit aduersus tyrannum. Communicauit cum Patre, & tabificum peccatum emptione sua erasit atque expunxit, anathematizans illud per gratiam. Illud enim affectibus ac passionibus hominem titillabat: hæc autem Dei munere, & ope, illud exterminabat. Illud voluptatis illecebris pelliciebat: hæc autem castitate ac pudicitia similiter extrudebat.] De stupiditate mortalium qui lucello adeo inhiantes, tam lucrosam cum Deo commercium non usurpant, insigniter Guerrens serm. 2. de resurr. Dom. Mihi iam nimis videor in hoc negotio.

CAPVT XI.

Verbum hamatum.

375. **M**irabile omnino Diuinæ sapientiæ in Christi compositione artificium, hic titulus conti-

net. Ex eo enim rite exposito, deprehendetur quanta solertia, quamque diuina machinatione, draco magnus, ut est apud S. Leonem serm. 8. de Pass. Dom. [Dum irruit, ruit; dum capit, captus est; dum persequitur mortalem, incidit in Saluatorem.] Quia ergo diuinum Verbum ad formam piscationis, cetum, & draconem siue Leviathan, à quo homines veluti pusilli pisces vorabantur absque vilo termino, obducto eica mortalitatis lux hamo, transfixit, & morte multauit; de ea primum esca, tum de hamo, linea, aliisque ad piscationem hanc necessarijs, differemus.

In piscatione per Incarnationem, esca, vermis humanitatis,

Escam captandis piscibus multiplicem apponi, neminem latet; sed expeditissima & parato facilissima est, vermis. At Christi humanitatem fuisse vermem, ipsum, quæ Christum ob humanam naturam vermem denominatū, lacerata Patrum & Scripturarum testimonia confirmant. Ad tria capita Scripturas illas & testimonia reuocat Balduinus, adductus in Allegorijs Vet. Testam. ad cap. 16. Exodi. Vel enim Christus, vermis dicitur propter veritatem humanitatis? ut cum typicè Dauid dicitur: *Tenerimus ligni vermiculus.* Et cum apud Isaiam dicitur: *Noli timere vermis Iacob.* Vel secundò vermis dicitur, propter vilitatem & abiectionem; iuxta illud Psal. 21. *Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominū & abiectio plebis.* Vel denique tertio dicitur Christus vermis, ob mordacem fœneritatem. Quæ etiam ex causa dicitur *timea*, ut apud Oseam: *Ego quasi timea Ephraim, & quasi putredo domus Iacob.* Sic Balduinus, cuius observatio confirmanda est, monstrando omnia quæ protulit, in Christi ratione assumptæ humanitatis cadere, & quoad eam Christum cum verme confecti viu familiari Scripturis, quæ ut notauit Greg. Naz. orat. 39. Iachanam cum magnis semper & grandibus, ceto monte, Behemoth componentes; Christum cum pusillis & minutis cœferunt, stilicidio, grano sinapis, agro, sed nominatim verme. Erit verò quod hinc suspicamus abyssum humilationis & deprecationis à Verbo susceptæ nostri causa. Quid enim est verme abiectus?

Christus homo, Vermis 1. ob originem absque seminibus.

376. Vermem ergo dici Christum quoad humanitatem assumptam, propter humanitatis veritatem, ut Balduinus affirmabat, origo vermis ostendit, quæ par omnino est origini Christi ex matre. Cum enim vulgò homines ex commixtione sexuum procreentur, vermis è contrario absque semine producit, & corporibus ex ipsismet corporibus innascitur. Notauit hanc Christi & vermis affinitatem Orig. hom. 1. 4. in Lucam, vbi differens de singulari modo quo Christus conceptus ac editus est, (tamen si in eo durius loquatur quod iuxta phrasim quorundam Patrum infra molliendam; Vluam Deiparæ, non ante partum, sed in solo partu reteratam affirmat.) Addit tamen optimè in rem nostram [Audeo quid loqui, quod & in eo quod scriptum est, *Spiritus Dei venit super te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, principium seminis, & cœceptus fuerit, & sine vluæ refectione nouus in vtero fœtus adoleuerit. Saluator loquitur: *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.* Videbat in matris vtero immundiciam corporū, visceribus eius hinc inde vallatus, terrenæ fœcis patiebatur angustias: vnde & assimilat se vermi; & dicit: *Ego sum vermis & non homo.* Ex matre quippe & femina homo nasci solet: Ego verò nō ex masculo & femina secundum ritum humanū, atque naturā, sed in exemplū vermis natus sum, cuius non est aliunde semen, sed in ipsis & ex ipsis in quibus coalescit corporibus origo est.]

Ratum